

§. 11. Ex isto igitur motu in latum & longum factus est obliquus, qui spectatis quotidianis, variâ viâ, declinationibus deprehensus est in eodem uno Obliquo, quem Eclipticam vocamus, fieri circulo, Æquatorem in duobus Æquinoctialibus punctis bifariam intersecante & obliquo ad eundem 23. 0. 30. /. Quæ quidem Eclipticæ obliquitas diversis temporibus diversa inventa traditur, propter quas observationes, eandem à maxima 23. 0. 53. /. in minimam 23. 0. cum anomaliâ mutari arbitrati sunt plurimi. Alii verò contra pro immutabilitate sententiam ex fundamentis non levibus ferunt magis amplectendam præ illorum secum invicem dissentientium opinionibus. Fracastorii verò insulsum commentum ex Ægyptiorum somniis derivatam, fore ut Ecl. cum Æquatore coincidat, ac dein obliquato Solis cursu, signa Borealia evasura Australia & Æquinoctium vernum à ♌ initum iri, hîc recensuisse sit refutâsse. Standam intereâ puto verbis Riccioli Tom. I. Alm. lib. 3. cap. 27. n. 15: Ex una parte mutatio Obliquitatis Eclipticæ Astronomicas turbans tabulas imponit Astronomis onus intolerabile singulis seculis eas corrigendi. Ex altera verò parte nulla causa subest Physica & nullus probabilis finis. Quomodo verò observari debeat hæc maxima Obl. consule Ricciolum.

§. 12. Totam hunc Circulum absolvit Sol diebus 365. 5. h. 48. /. 55. // uti Longomont. habet, absolvendo singulis diebus unum prope gradum. Quod spacium nobis exhibet annum Tropicum, aut Circulis Solstitialibus, quos maxima Ecclipticæ obliquitas attingit, ita dictum, qui nec cum fidereo nec cum civili coincidit. Motus autem Solis in hoc circulo licet æqualis in Tab. Astronomicis ponatur nobis tamen ex terra difformis apparet cum temporibus æqualibus æquales Ecclipticæ arcus non conficiat uti observarunt peritissimi. Apparet autem hoc evidenter in temporum intervallis, quibus quadrantes absolvuntur Ecclipticæ aut duo semicirculi Borealis & Merid. Ex observatis enim Æquinoctiis constat Solem ab initio ♋ ad initium ♌ versari diebus 186. aut 187. ab initio verò ♌ ad initium ♍ diebus 178. aut 179.

Præ-